

de plenitudine apostolicæ potestatis omnes defectus in hac nostra constitutione procuratorum, si qui interuenerunt, ita quod huiusmodi procuratores per quasuncq; clausulas, etiam contra naturam constitutionis procuratorum in ea expressas, ipsi & eius effectui nociuas aut inutiles, seu in ipso utiles & necessarias non expressas, sed deficientes, cuiuscunq; tenoris uel effectus existant, nequeat quoquo modo impugnari, sed firmum & ualidum in omnibus & per omnia existat, ac si in eo clausulæ necessariæ uel utiles existerent expressæ. Quod quidem procuratorium, quod ad totalem eius effectum, firmum & ualidum uolumus remanere. Quodq; ad clausulas huiusmodi obseruandas, quæ essent contra naturam constitutionis procuratorum, si quæ essent appositæ, nos ex certa scientia, omni uia & modo quibus melius possumus, promittimus, iuramus, & obligamus deo & ecclesiæ ac dicto concilio, declarantes & statuentes ex superabundanti ipsa iura, in quantum uolunt, concedit, aut fauent, procuratorē uel procuratores ex certis causis uel aliis reuocari posse, uel irreuocabiliter non constitui ea, quantum ad casum prædictū expressæ, & ex certa nostra scientia, cum hic agatur de statu uniuersalis ecclesiæ, & pace ac publica utilitate totius Christianitatis, uolumus locum non habere, nec præiudicium aliquod asserere. Nec nos per præmissam procuratorij constitutionem, ab obligatione qua sumus astricti ad renunciationem papatus facere iuxta deliberationem dicti sacri concilij, in quocunq; casu in dicta schedula obligationis nostræ comprehensio, uolumus quomodolibet liberari: quin immo illam in suis integritate, robore & firmitate persistere & permanere, quousque per cessionem uel decessionem huiusmodi, aut alium casum quemcunq; in prædicta schedula nostræ obligationis comprehensum, unio perfecta fuerit in ecclesia sancta dei. Et si quouis modo contingeret, huiusmodi procuratorium aut procuratores reuocare, etiam cum adiectione harum dictionum, uidelicet, de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, seu ipsum procuratoriū seu procuratores ipsos inualidare, impugnare, aut annullare, seu contra ipsum procuratorium uel procuratores de iure uel de facto, & ex quauis causa uel occasione excipere, seu ipsos procuratores directe uel indirecte, quo minus iuxta tenorem ipsius procuratorij potestate, autoritate, & facultate sibi data libere uti ualeant, possint, & debeant impedire, in omnibus & singulis casibus prædictis exnunc prout extunc, ipsi papatui cedimus, & renunciamus ipso facto, & deinceps pro non papa haberi ab omnibus Christianis fidelibus uolumus penitus & decernimus, absoluentes exnunc à iuramento fidelitatis & obedientiæ debito ligamine omnes & singulos dictæ Romanæ ecclesiæ cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos, episcopos, prælatos, ac nostros & sedis apostolicæ officiales, ac etiam nostros familiares & officarios Romanam curiam sequentes, & quoscunq; alios ecclesiæ fideles, ecclesiasticos & seculares, cuiuscunq; status, gradus, uel conditionis existant, ac etiam totum populum Christianum, quos etiam tenore præsentium absoluiimus, & ultra præmissa promittimus habere ratum & gratum, quæquid per prædictos procuratores aut eorum duos, actum, gestum, factum ue fuerit in præmissis seu aliquo præmissorum, firmiter habiturū sine aliqua contradictione. Datū &c.

¶ Quod papa constituat in procuratorio personas infrascriptas.

Item decernit, ordinat, diffinit, & declarat, quod dictus dominus Ioannes papa in dicto procuratorio ad dictam suam renunciationem faciendam, præter alios quos constituere uelit, constituat procuratores suos personas infrascriptas. Et primo pro natione Gallicana, dominos Theobaldum archiepiscopum Bisuntinum, Guillelmum episcopum Ebroicensem, Ioannem episcopum Gebennensem, magistrum Benedictum Gentiani magistrum in theologia, ordinis S. Benedicti. Pro natione Italica, Pileum archiepiscopum lanuensem, Antonium episcopum Concordiensem, Iacobum episcopum Adriensem, & Iacobum episcopum Taruisinum. Pro natione